

Letter 498: 30 January 1533, Strasbourg, Capito to Johannes Schwebel

Printed in *Centuria epistolarum theologiarum ad Ioh. Schwebelium* (Zweibrücken, 1597), pp. 169–73, no. 55.

Gratiam et pacem. En Hechtlinum nostrum, quem vix tandem abmandare potuimus repugnantibus consule et senatoribus cordatioribus, paucissimos habemus valentes iudicio ministros Verbi quo rari sunt qui serio pietatem profitentur, plerosque enim occasio, ceu in procellas maris, tempestas impulit, in discrimina evangelica, quo fit ut stolide gemant quam functionem temere susceperunt. Verum hic noster, meditato consilio in hunc campum descendit, dimicaturus, apostolicis armis cum hostibus, quibus cum pedem conferimus, diu et feliciter contulit, ut iure dixerim exercitatissimum atque emeritum militem ac rude donatum, nisi agonothetam, videlicet Christianum nemini missionem dare sciremus, donec melioribus piorum ministrorum vicem ac locum explerit. Quod enim hactenus e suggestu plebeiae ecclesiae, id forte posthac principali auditorio consiliorum aulicorum, moderator tu facturus es. Nam sunt, qui praedicando verbo renunciasset, certe alio, id est, ad aulam vocatum te aiunt, utrobique Christum assidue colens es et usque manebis, etsi posterior usus tanquam ex edito, in plures diffunditur; sed inter mille discrimina versaberis.

Quare et hunc nostrum administrum tibi et in evangelio sodalem libentius concedimus, quo tuto, et seria et iocos communicare licebit. Atqui memineris, mi domine, virum esse hunc variis iactatum casibus, quem portus hic paratus manebat et dignissimus leniore fortuna vel ob aetatem, sed et hospitalitatem episcopalem, materiam liberalitatis requirite, hoc est, rem familiarem tolerabilem, adque libros emendos. Idcirco etiam atque tiam videbis, ut annuo stipendio honesto autoratus, suam vestrae ecclesiae o[p]eram colloquet. Quod si eius hominis tantus usu non erit, quanto futura est detrimento, absentia eius nostrae ecclesiae, oro te per Christum, ut reddito viatico remittas nobis. Nam novemdecim apud nos urbani et agrestes fere plures sunt. Verum ex omnibus vix unum atque alterum invenies, qui ad huius nostri, modicum accedat. Latine nihil potest, ad clavum igitur tu assidebis, sed quod praeterea huius temporis ecclesiae postulant, id praestabit, egregie. Biennio nunc egit nobiscum, obscurus diu, hoc proximo semestri innotuit. Ago prolixius quam pro more, sed incerta consilia de abmandando eo, longiore scriptione confirmantur in hanc sententiam, ut eo loco maxime haereat, ubi senserit usum sui fore ampliorem. Quare iussimus, rebus omnibus exploratis, nihil addiceret, nisi re prius nobiscum communicata. Tametsi Bucerus nihil aliud videt, quam quod non facile sit nobis reddendus, adeo defigit oculos in senem pium, in late satis patentem ditionem et inopiam huius generis virorum, sed et considerat tuam assiduam in opere Domini moderationem, cui accommodatissima erit prudentissima de gloria Dei aemulatio, qua pollet cum vicinis Hechtlinus. Vale. Argentinae penult. Ianuarii 1533.